

1093<sub>1096</sub> TO THOMAS MORE.

Epistolae ad diuersos p. 579.  
HN: Lond. xv. 15: LB. 503.

Antwerp.  
26 April 1520.

ERASMVS ROT. THOMAE MORO S. D.

SPERABAM meas literas aliquid ponderis habituras fuisse apud Brixium. Sed ecce prodiit ac prostat hic Antimorus eius. Qui liber vellem auctoris ipsius causa, cui faueo ob animum eius vel in bonas literas, vel in me, quod eius declarant scripta, propensum, aut perpetuo latuisset, aut certe Brixius fuisset imitatus tuorum epigram-<sup>5</sup> matum modestiam ac ciuilitatem. Quae et ipsa tamen optassem nunquam potius essent aedita quam vt hic tumultus tragicus inter vos fuisset excitatus, non sine dispendio bonarum literarum: quas non video posse consistere, nisi aduersus tam pertinacem barbarorum conspirationem illas defendat eruditorum numerus, iunctaeque vni-<sup>10</sup> bone phalanges. Verum quando fieri non potest vt quod factum est, fiat infectum, cupio vehementer vt malum germen, quod parum faustis auibus enatum est, opera nostra curetur, vt si radicitus euelli non possit, saltem ne serpat latius. Quod vt ego, mi More, cupiam, non Brixii tantum causa, cui valde faueo, me mouet, verumetiam cui<sup>15</sup> multo adhuc magis faueo, tua. Non quod arbitrer esse periculum ne Antimorus eius quicquam officiat famae tuae, quae vtinam non plus nocuisset ipsius: sed quod plane metuam ne, si tu respondendo talionem in illum regesseris, fiat vt quod nunc de illo sentiunt omnes, idem posthac de vtroque sentiant.<sup>20</sup>

Scio quam difficile sit ad tam aculeatum vndique libellum respondenti temperare a conuiciis: et tamen si quid eam in partem pecces tu, nemo qui te norit tam facile putabit ignoscendum tibi quam ignoscet Brixio. Nam vt nihil interim de vtriusque eruditione dicam, tua certe conditio, tua dignitas ac rerum vsus exigit vt eiusmodi rixas<sup>25</sup> non minus ineptas quam virulentas negligas potius, quam vt conuicia conuiciis accurate retalias. Audio quotidie quid post aeditum libellum eruditi loquantur de Brixio: quae vt de illo non libenter audio, ita de te multo minus audire velim. Quamobrem quum sentiam quam arduum sit tam virulento libello lacessitum sic attemperare responsum<sup>30</sup> vt nihil indulgeas affectibus, optimum certe censeo si rem totam, ita vt meretur, negligas atque contempnas.

Neque vero hoc tibi consulerem, optime More, si quicquam esset in Antimoro quod tibi sic labem aspersisset vllam, vt operaeprecium sit eam curare abstergendam. Sed omnia plane sunt eiusmodi vt inter<sup>35</sup> legendum quisque respondeat sibi. Nam omnes vident Brixium id in te reprehendere, quod tam temere tamque praepropere aedideris

3. faueo *add. N.*

18. quod *om. H.*

26. conuicia *om. H.*

1. literas] Ep. 620; which Brixius saw for the first time when it was printed in the *Farrago* (E).

2. Antimorus] See Ep. 1045.

5. epigrammatum] Cf. Ep. 620. 29n.

7. aedita] Cf. Epp. 550 introd., 634. 4.

10. defendat] Cf. Juv. 2. 46.

22. temperare] Cf. Ep. 620. 30n.

25. dignitas] Cf. Epp. 780. 45n, 908.

16n.

tua epigrammata, quae tu nec adhuc aedidisti: cum pleraque tibi ante annos plus viginti scripta sint, omnia ferme ante annos decem.

40 Vident illum vellicare pro erratis tuis, quorum alia sunt excipientis, alia typographi, et in his pleraque talia vt nisi damnatis summis autoribus reprehendi non possint. Vident epigrammata tua quae feceras in Chordigeram, iam olim esse scripta flagrante bello; nec fuisse causam Brixio vt nunc tot annis post initam et confirmatam

45 pacem bellicum tumultum renouaret. Vident Brixium in epitaphio Abyndonii ludere, manifesta calumnia dissimulantem quod dissimulari non potest, illic opera data affectatam carminis ineptiam. Caeterum qua parte insectatur id carmen quo tu gratularis auspiciis regnum ineuntis Principis, vsque adeo nemo doctorum in Brixio non desiderat

50 animi calamique moderationem, vt ego non pessimus, vt scis, amicorum patronus, haud alium inueniam colorem illius excusandi quam quod ita senserit Britannicarum rerum ignorantia: quas si compertas habuisset, neque scripsisset ea, et vel iratus fuisset fassus Regem abs te laudibus vere regis magnifice laudatum esse.

55 Haec, mi More, cum omnes et sentiant et fateantur, quid restat causae cur te torqueas respondendo, hoc est rem, quod aiunt, actam agas, non alio fructu quam vt venias in periculum, ne famae iacturam, quam nunc solus apud eruditos patitur Brixius, tibi facias aliqua ex parte communem; si forte (quod haud facile vitare possis, vbi calamus,

60 vt fit, incaluerit) respondeas inclementius et conuicia repenses conuiciis. Non minima portio tuarum laudum est ingenii lenitas perpetuaque morum suauitas, vnde nolim ego quicquam decedere. Sin tibi decretum est diuersa ingredi via (nam audio librum tibi aduersus eum iam in manibus esse), velim te excuses tantum, et malevolentiae

65 crimen prouocatoriaeque petulantiae sic abs te depellas vt in aduersarium non regeras, ac ratione pugnes, non iurgiis, illius inuidiam tua cumulaturus modestia: tamen, vt sic quoque rem geras, multo certe malim tacere te, vtque tota res obliteretur silentio. Quod vt illico fieri non potest, ita paulatim poterit, te, vt spero, volente.

70 Scripseram Brixio vt Antimorum, quam tum audiebam eum meditari, premeret: et si fuisset in tabellario diligentia, persuasissem, si vera scribit Brixius. Verum (quod ex eius responsione vides) liber iam erat sub prelo, priusquam meam videret epistolam. Abs te vero, mi More, mihi plus profecto quam a Brixio polliceor: cui cum

75 videam persuasurum fuisse me, si meae ad illum literae venissent in tempore, dubitare non debeo quin abs te facile sim impetraturus vt mea causa tantum impetres ab affectibus tuis, ne eum qui et me amat et vicissim amatur a me, magis etiam oneres nouis libellis. Ab alterutro proficiscatur oportet huius contentiois finis, nisi litem

80 alterna reciprocatione perpetuam esse velis. Et tua dignitas tuique mores hoc postulant, vt abs te potius sit huius rei initium. Crede mihi, mi More, tametsi Brixius hac in re ita se gessit vt nunc fortassis

46. dissimulantem *F* Corrig. : dissimulans *F*.  
*sine versus.*

66. non *add.* *H*: *om.* *F*, *in*

43. Chordigeram] See Ep. 212. 11.

46. Abyndonii] See Ep. 1087. 83n.

48. carmen] See Ep. 1087. 220n.

62. suauitas] Cf. Ep. 999. 20n.

63. librum] More's *Epistola ad Brixium*;  
 see p. 217.

70. Scripseram] Ep. 620. 28-40.

72. Brixius] Ep. 1045. 4-6.

etiam ipsum poeniteat, et, si res esset integra, non sit facturus—neque enim quisquam tam felix est vt omnibus horis sapiat—, tamen is est, quem si nosset propius, hominis tum ingenio tum literis 85 delectareris; neque quenquam alium facile reperies quem iudicares amore tuo digniorem. Neque debes ab omnibus tam sedatos affectus exigere, quam omnes ferme pro caeteris factis tuis proque spectata iam diu prudentia prorsus expectant abs te. Brixius quanquam in Chordigera sua quaedam scripserat, in quae tu lacessitus prius iure 90 potueris acerbius etiam, praesertim vt tum res erant, rescribere; tamen postquam epigrammata tua lepore quodam omnibus adblandientia, omnium risus excitassent in illum, mirari non debes si iuuenis natura vehemens famaеque appetens, aliquantulum a consideratione sui facti dolore quodam animi totus in tuos versus auersus, sibi putauit 95 iniuriam fieri, quam se non animaduerneret neque merito nec idoneo tempore vindicare.

Scio te non tanti facere pauca illa epigrammata quae lusisti in illum, quin pati possis vt in meam gratiam aboleantur; qui nisi monuisses sero, hoc tua sponte curabas olim, quum totum librum 100 non libenter audires proditurum in publicum. Igitur efficiam vt e tua voluntate, cum posthaec excudetur liber, omittantur illa, atque vicissim ne propagetur Antimorus. Ita fiet vt si nihil accedat alimenti, ignis iste paulatim emoriatur. Quod si tam obfirmato animo decreuisti litem hanc persequi, tamen per amicitiam nostram 105 neque nouam neque vulgarem, precor etiam atque etiam dispicias vt rem tractandam putes. Ego, si detur optio, te, vt dixi, tacere malim, ac rem plane contemnendam contemnere. Id si fieri non potest, quod proximum est optarim, vt quod et hactenus abs te curatum est, eruditione tantum et causa, non etiam maledicentia vincere pergas: 110 vt quoniam alterum amicum habere me video nonnihil hoc infelici casu mutilum, alterum saltem, qui mihi sic est charus vt vnum omnibus habeam potiorem, possim perpetuo seruare integrum, felicior futurus, si vtrunque liceat. Etenim quum nihil sit homini praeciosius fido bonoque amico, par est nullius rei iacturam quam amicitiae 115 ducere grauiorem.

Haec scripsimus in mediis turbis, in quibus nos non ignoras versari. Bene vale, amicorum syncerissime.

Antuuerpiae vi. Cal. Maii. ANNO M.D.XX.

103. accedat *F* Corrig. : accidat *F*.

100. olim] For the first edition of More's *Epigrammata*, Basle, Froben, March 1518.

101. efficiam] This proposal for a peaceful settlement was frustrated by the publication of More's *Epistola ad Brixium* (l. 63). In consequence the epigrams against Brixius remain in the only later edition of More's *Epigrammata* printed during the lifetime

of Erasmus and More, Basle, Froben, Dec. 1520. The predilection of the age for controversy is illustrated by the fact that at this very time Erasmus was being urged by his friends to a similar composition with Lee: see Epp. 1037 introd., 1078. 38n, 1090, 1097.

117. turbis] The printing of his last reply to Lee; cf. Epp. 1086 introd., 1092. 11-12.